

DISSERTATIO ACADEMICA  
 DE  
*VIRIS IN FENNIA PERITIA LITTERARUM GRÆCARUM CLARIS,*  
 CUJUS PARTEM QUARTAM  
 CONS. FAC. PHILOS. IMP. ACAD. ABOËNS.

*publico examini offerunt*

*JOHAN. JAC. TENGSTRÖM,*  
*E. O. Philosophiae Adjunctus, E. O. Amanuensis Bibliothecæ,*

ET

*PETRUS TICKLÉN,*  
*Stip. Bilm. Öfrobothnienfis.*

In Auditorio Medico die III Junii MDCCCXV.

h. a. m. f.

DISSESTITATIO ACADUMICA

DE

MIRIS IN LITERIS PIRATAE LIBERI  
PARKER GREGORIANA CANTAB.

CULUS TATAMI CERTATUM

CORAL FUG. PARIS. IMP. A. DE LA VILLE. ANGERS.

LEADER OF THE CHURCH OF ENGLAND

SCHOLIA AC. TYPICARIA

ED. O. RIBOLDI. IMPR. ET ED. A. DE LA VILLE. ANGERS.

ET

PATERAS TICELIAN

ED. O. RIBOLDI. IMPR. ET ED. A. DE LA VILLE. ANGERS.

IN VERSO. MUSICO. IN THE JUNIPERINA

ED. O. RIBOLDI. IMPR. ET ED. A. DE LA VILLE. ANGERS.

niuntur, die Saturni post meridiem, exercitio cantus precibusque vespertinis finitis, Evangelium tantummodo resolvendum injungatur alterutri Theologorum o). STODIUS a. 1638 cum HENRICO HOFFMANNO p), Past. & Präpos. in Masku, &

G

GRE.

o) Cfr. Reverendiss. TENGSTRÖM *Vita Rothovii* pp. 35, 39.

p) Respondens fuerat in Disputatione Synodali Aboæ 1628 habita (Reverendiss. TENGSTRÖM l. c. p. 22.). Ex Actis Capituli Aboënsis, virum magnæ auctoritatis in Ordine suo fuisse, crederes; quamvis pluries & salacitatis & avaritiæ fœdæ accusatus deprehendatur, Vid. Prot. d. 27 Julii 1657. Avaritiam ejus notant Protoc. dd. 9, 15 Maii, d. 10 Julii 1661, ex quo apparet, senoris ex pecunia vidue pauperi concredita exacti reum ab Ep. JOH. TERSERO (Capitulares suffragia severa de hoc crimine jam in antecesum tulerant) sic reprehensum esse: Sedan kunne wi ejt dåtta förtiga om dåt rop i hela Sveriges Rijke om edert floora interesse. Ondt at hantera denna saken medh eder, ty ß åren alles vår gode Vän, är ondt at höra på edert toll i landet. Consistorium håller honom för den som umgås med sådant äcker, at han ej kan vara in statu gratiæ. Dåtta är icke räknandes emot edra floora Penningar, som uthé ståd på interesse. Men med denna fattigas Enckian. — Remonstrerades Herr Hinrich, att han hade räknat på Enckian två gånger somliga perséclar &c. Cf. Prot. Conf. Acad. d. 8 Apr. 1646, quod perhibet, Studiosum quendam quem esse, att Herr Hinrich icke togh på hatten, tå han helljade och mötte honom på gatan: fäsom och tilsörene undfådt honom mechta snöpligen uthi Mascho Prästegårdh, då han kom dit med Olai Israëlis promotorials-bref, kallandes honom och andre, som komne voro ifrå Sverige, till Svenske pack, &c. Herr Hinrich skulle uttaff Rettere förmånas, att han icke upftussar Studenterna och retar opå sig medh någhon otijdigh föracht, der de sigt altijd beroopa på. Eum præter talarium, quod Pastoribus Ecclesiistarum pendi solet, ordinarium 48 tonnis frumenti annuis ex redditibus publicis, quamdui in vivis eset, munitum fuisse, novimus (ex Prot. Conf. Acad. d. 27 Jan. 1666). Opulentiam ejus etiam innuit dedicatio Disl. Astrologiam generalem proponenti, Praef. SIM. KEXLERO, Resp. EAICO J. JUSTANDER, præmisa. Defunctus est fine a. 1665 aut initio a. 1666, relicta vidua sibi superstite, filia

GREGORIO Matthæi FAVORINO *q)*, Past. & deinde Praepos. in Pikis, socius ESK. PETRÆO S. S. Bibliorum in lingua Fennicam vertendorum adjunctus est. A. 1640, cum, dislocato Gymnasio *r)*, Academia Ab. conderetur, Linguarum Hebreæ

eujuſdam STEPHANI, cuius in Prot. Conf. Acad. d. 24 Martii 1658, tunc jam defuncti, mentio fit. Cf. Protooc. dd. 27 Jan. 9 Maii 1666.

*q)* Nomen ejus comparet in indice Sacerdotum, qui pompa R. Academice Ab. inaugurandæ aderant (Cf. Rev. TENGSTRÖM l. c. p. 156). Gratulatio ejus elegiaca latina exstat inter *Gratulations*, cum Rev. Dn. M. Nicol. Nykopensis privilegia & jura Magisterii Philosophici conferret Samueli N. Frisko a. 1650, Aboæ, ap. Petr. Wald, 4:o. Defunctus esse videtur ante a. 1652, a quo certe M. SIMON KEXLERUS, Matheï Prof., Pastor fuit in Pikis. Filium habuit JOHANNEM, qui a. 1655, Verbi Divini Minister in Hattula, in matrimonium duxit ELENAM THURONIAM, filiam THURONIS Theodorici, Pastoris in Ecclesia Kyroëni Tavastorum (cf. Γαμηλίον sacris nuptiarum honoribus, — qui d. 23 Sept. 1655 celebrabantur, Ab. ap. Petr. Hanfson, 4:o) atque deinde Pastor ejusdem ecclesie, cui sacer præfuerat, defunctus est a. 1673. (Concionem in exsequiis ejus ab ABRAH. IKALENSI habitam excitat Cel. PORTHAN Hist. Concionum Saer. Fenn. pp. 25, 26) aliumque filium ERICUM, qui in Prot. Capit. d. 22 Febr. 1672 inter eos, qui sacro Ordini initiandi erant, bene in studijs fundatus insignitur. — Hæc viros spectantia dignos judicatos, qui cum PETRÆO & STODIO primam universæ Scripturæ Sacrae versionem genti Fenonicæ pararent, & quos hanc ob causam etiam linguarum sacrarum pro ætatis suæ ratione periftissimos fuisse, probabile est, annotanda esse duximus, etiam si ex parte minutioris curæ forsitan habeantur.

*r)* Ejus historiam & constitutionem exponit Reverendiss. TENGSTRÖM l. c. p. 26 seqq. Præter Lectores ibi commemoratos nobis innovit unus, docendi munere in hacce bonarum artium officina funetus, quem ab oblivione jam vindicavit Cel. Fr. W. PIPPING De Bibliothecariis Academæ Aboënsis, pp. 12, 13. D. 3 Apr. 1593 in paroecia Smalandiæ Anderstadt, villa Bockhult, patre colono INGEMARO Nicolai, matre ANNA Benedicti, natus, scholam Wexio-

bræcæ & Græcæ Professor in hac designatus est. In primo  
*Prælectionum publicarum Ordine Græcam Grammaticam una*  
**G 2** cum

---

nensem a. 1614, Nycopensem a. 1617, Calmariensem a. 1622, quo tempore etiam præceptor erat in aula Nob. cuiusdam HAMMARSKÖLD de Tuna, frequentavit. A. 1627 studia litteraria Uptaliae continuavit. A. 1636 ordini sacro ab Ep. Wexion. NICOLAO KROOK consecratus, vocante Ep. ROTHOVIO a. 1637 Aboam venit, ubi Logices Lectioni, ERICO MATTHIAE BOTHNIENSI ad ecclesiam Pedersörensem translato, vacuae factæ (cf. Rev. TENGSTRÖM l. c. pp. 90, 91), admotus est. Aa. 1641 — 1643 vicariam Eloqu. Prof. JOH. TERSERO operam præstítit. Ab. Ep. ROTHOVIO & ad munus quoddam & ad summos in Philosophia honores obtinendos commendatus (cf. Cel. PIPPING l. c.), utrisque defraudatus, æquo animo fata sibi magis secunda exspectavit ad a. 1644, quo denique Pastor & Præpos. in Tenala designatus est, ubi 88 vitæ annis transactis, satur, ut verba relationis, quam sequimur, habent, ætatis, satur honoris plenusque gloriæ, vitam cum morte commutavit d. 22 Junii 1681. Pronuntiatur ibidem: *Alios vetustas, nox & chaos sepelient, hic superstes erit in animis hominum, fama rerum, æternitate temporum, cui vero vaticinio exitum haud respondisse, ex allatis patet.* Sermones funebres in memoriam ejus habuerunt D. ENEV. SVENONIUS in ædibus defuncti e Genes. 25, versl. 7 — 11, & Ep. JOH. GEZELIUS Sen. in templo e Psalm. 116 a versl. 12. Bis matrimonium inierat, prius a. 1642 cum SIGRID BERGERIA, filia Pafloris in Finström Aländie, PETRI BERGERII, ex qua tres filios unamque filiam suscepit, alterum, illa a. 1653 defuncta, cum vidua quadam MARGARETA Petri, ex qua duo sibi nati sunt filii. Filiorum unus PETRUS d. 17 Febr. 1680 mortuus, alius JONAS PETREJUS, ut se ipse cognominat, epitaphium, (e cuius apographo, in Bibliotheca Academica servato, hæc, de vita laudibusque PETRI Ingemari allata, desumimus), supra sepulcrum lapideum, in templo Tenalen si & sc exstructum, quod ossa conderet patris, matris fratribusque, collocari fecit. — Huju's de Viro, quem etiam ad humanitatem litterasque in patria nostra introducendas & promovendas pro rata contulisse, jure augurari licet, excursus veniam nos facile impetratu'ros, speramus. Obiter simul commemoramus, quod in annotatio'nis de gente Alfanorum a nobis supra p. 48 excitatis, ERICUM ERICI ALFANUM aliquamdiu Lectorem Theologiae in Gymnasio Ab.

cum praxi proponendam suscipit. A. 1649 se a Gen. X cum Hebræis & a 2 Cor. X cum Græcis continuaturum indicit, addito ad imitationem utriusque linguae exercitio styli, cum in prosa tum in ligata oratione pro captu quidem Auditorum <sup>s)</sup>. A. 1652 Theol. Prof. constitutus <sup>t)</sup>, a. 1660 hoc munere se abdicavit <sup>u)</sup>, annoque 1675 in Ecclesia Nådendalensi, quam administrandam retinuerat, sed cui ab a. 1673 gener suus ANDREAS

PE-

fuisse, perhibetur, vel ex ERICI LENGVIST Descriptione historico-œconomica Ecclesiae Tössalenensis, cuius autographon in Bibliotheca Acad. supereft (Epitomen ejus exhibent Åbo Tidn. a. 1793, N:o 31 seqq.) redargui, ex qua constat virum laudatum in munus Pastoris Tössalensis jam a. 1623 introductum fuisse a Past. Ab. M. JOACHIMO STUTÆO.

s) Cf. Reverendiss. TENGSTRÖM I. c. p. 68 sq.

t) A Senatu Academicō, utpote ætate jam proiectus & diu muneribus publicis functus, S. R. Majestati ad hoc munus obtinendum commendatus erat (ex Prot. d. 15 Sept. 1652). D. 15 Dec. 1652 Episcopus PETRÆUS Patres Academicos certiores fecit, STODIUM Theologiae, & PETRUM BERGIUM Linguarum Profesores clementissime designatos esse; dieque 14 Sept. 1653, mentione facta litterarum Cancellarii, d. 5 Aug. ejusd. anni datarum, eandemque rem Consistorio significantium, publicas in disciplinis novis sibi delatis lectiones habendi via irique concessa est, sed introductio dilata, quoad confirmationes si diplomata Regia huc advenirent, que denique d. 27 Sept. 1654 in Consistorio prolata sunt. D. 11 Octob. decretum est, introducendos esse STODIUM die Jovis proximo post Festum omnium Sanctorum, atque BERGIUM deinde hebdomada proxima præterlapsa. Cf. Cel. PIPPING I. c. p. 38;

u) Haud liquet, an ab hoc munere ob illatum sibi crimen magistrorum remotus fuerit? Ep. JOH. GEZELIUS Sen. certe in litteris ad Rectorem Magnif. d. 30 Aug. 1676 datis & in Consistorio prolatis eum ob vitium quoddam grave ab Academia remotum perhibuit; cujus tamen remotionis in Actis nullum exflare vestigium, monente genitore STODII, ANDR. PETRÆO, attestatum est Consistorium.,

PETRÆUS, Physices Professor, ob infirmitatem ficeri vicarius præfuit, vitam cum morte commutavit *v*). Moribus erat pro temporum ratione insolitus, mediocri ingenio, eruditione indigesta; in docendo copiosus nimis, Magiae graviter saepiusque insimulatus *x*). Nullos posteros prolis masculæ STODIUM reliquisse, novimus *y*).

Eruditionis suæ Græcanicæ publice edita specimina, præter symbolas, quas ad versionem Sacri Codicis Fennicam, a. 1642 editam (de qua vide supra pp. 46, 47), eum contulisse,

*v*) Plura vide ap. Rev. TENGSTRÖM I. c. pp. 54 — 83, Cel. WALENIUM, P. II, Seçt. II. pp. 10, 11.

*x*) Quam infamis hoc nomine fuerit STODIUS, indicant Acta non modo sue etatis, sed etiam temporum posteriorum. Sic in Capitulo d. 15 Apr. 1671, ex occasione Is. GUNNÆRI artium magicarum accusati, mentio facta turbarum a M. STUDIO & M. FORSTADIO excitatarum atque a M. BERGIO prolixe relatum, Studioſos noctibus vespereque diei Jovis collegia STODIIS frequentavisse, scholarem quendam ope ejusmodi artis arcanæ absque ullo incommodo se decjicisse e testo templi e. s. p. D. 11 Dec. 1689, quo suffragia lata sunt de Verbi Divini antehac Ministro LAUR. ULSTADIO, Studioſo ULHEGIO & M. PETRO SCHÄFER, errorum religionem spectantium accusatis, Med. Prof. D. TILLANDS motuum meminit necromantiōrum, som icke en ringa fläck Academien tilfogade. Cfr. Prott. d. 22 Aug. d. 22 Nov. 1676 & pasim.

*y*) Nobis certe Acta hujus ævi perscrutantibus nemo hujus cognominis occurrit, præter ERICUM ERICI STODIUM, Aboënsen, qui a. 1662, Präf. SVENONIO, defendit ultimam partem Syntagmatis, quod inscribitur: *Gymnasium capienda rationis humanæ, atque annis certe 1675 — 1688 fuit Pastor Nofocomii Själöensis, cuius vero natalitas pro�is ignoramus. An fuerit filius supra p. 51, notwithstanding Pastor Töffalensis, ERICI ERICI ALFTAN, qui erat patruelis MARTINI HENRICI STODII, hujusque cognomen adoptaverit, cum pater jam a. 1639 defunctus eset, haud constat?*

tulisse, eo minus est, quod dubitemus, cum ob hanc elabordam a lingua Hebræa publice docenda vacaverit z), sunt:

Gratulatio Hexametra Græca in Diss. de Optics natura in genere. Praef. SIM. KEXLERO, Resp. GUTM. Jac. LITHOVIO, Sud, 1650,

Grat. Eleg. Græca inter Gratulationes cum M. Nic. Nyco-pensis, Log. & Poës. Prof. privilegia & jura Magisterii Philosophici conferret Samueli N. Frijlo, 1650, Aboæ, 4:o,

Grat. Eleg. Gr. inter Carmina in corymbum nuptiale M. Johanni J. Liliewaan aa) & Catharinæ Muur, Rev. Dn. Bætii Murenii, Pastoris in Saltvijk & totius Alandie Præpositi, filii, parandum, Ab. 1656, 4:o,

certe

---

z) Ex Prot. Conf. Acad. d. 11 Maii 1641. Theol. Prof. Joh. Elai TERSERUS primo anno Academico has partes Stodii egit, Grammaticam Hebræam hora a. m. IX in Auditorio Inferiori proponens. Cf. Rev. TENGSTRÖM Minne öfver Terserus p. 9 not. Ejusd. Vita Rothovii p. 183.

aa) Hic, deinde Past. & Prepos. in Nagu (Cf. STIERNMAN Ab. Lit. p. 46), fratrem habuit LAURENTIUM Jacobi LILIEWAAN, s. 1653 V. Div. Ministr. in Nagu, in cuius laudem ERICUS J. JUSTANDER in Dedicatione, supra p. 49 not. p) excitata, commemorat, eum primum, quantum hic sciret, sui ordinis, glaciem fregisse, librisque in folio & quarto num. VII, & extra deauratis & intus aureis, Bibliothecam Academicæ ornasse & honorasse. Adjicit; utinam & alii Clericorum Equestrisque & Politci status viri, tuo exemplo excitati, Libros, queis ipsi non indigent, aut quorum dupla habent exemplaria, Musarum nostrarum gazophylacio darent & consecrarent. Sed haec obiter a nobis allata cf. cum Cel. PORTHAN Hist. Bibliothecæ R. Ac:æ Ab. pp. 26, 27, & Cel. PIPPING l. c. pp. 30, 31.

certe non melioris notæ ac farrago vulgaris esse solet ejusmodi scriptionum. Præterquam enim quod sphalmatibns redundant typographicis, ut  $\pi$  pro  $\chi$ ,  $\circ$  pro  $\omega$ , &c. linguae metris ligandæ facultate Auctorem haud valuisse, satis superque evincunt. Suspicamur imo, STODIUM neque scholis & lectionibus, muneris ratione habendis, de Litteris Græcis in Fennia colendis admodum meruisse. Quod opera sua in elementis Grammatices & lingua vernacula Novi Testamenti exponendis, ut videtur, substiterit, ei tamen soli vitio haud vertendum; cum & ignorantia auditorum & tunc temporis genius hujus loci, in Theologiam præ ceteris studiis litterariis amplectendam pronus, & ad illam hæc, intempestivo plerumque orthodoxiae abreptus studio, accommodans, liberaliori scientias quasvis Litterasque tractandi rationi, primis Academiæ Aboënsis conditæ temporibus, impedimenta objecisse varia, satis superque constet, quibus sæpe ingenia vel optima succubuerint; ut neque pro merito STODII habendum, quod, e more cognitioni solidiori lingvæ utilissimo, (quem circa medium sæculi proxime præterlapsi, auctoritate inprimis Cel. ERNESTI, de Philologia Græca commendanda & promovenda alias quam maxime meriti, rejectum e Iudis nostris Litterariis, dolendum est), regulas & genium linguae, lectorem minus attentum facile suffugientes, accuratius sentiendi & callendi ansam Studiosis dederit. Sed ipse parerga inutilia variarumque rerum insulsam & indigestam molem lectionibus suis inferendo, copiositate hacce nimia tedium adferente, causa videtur fuisse paucitatis negligentiaeque & incuriae Auditorum, de quibus eum questum esse, in Consistorio Acad. d. 15 Oct. 1645 bb) retulit

---

bb) Cujus Protoc. hæc habet: *Magnificus Rector proponerade M. Martini Stodii besvär öfver sina Auditorers oflijt, at the och mecka fåå vore. Uthlofsvades fördenskul, at Studiösi uthi nästa inscriptione skulle singulariter till linguarum studium rätt medh afvar férmaanas. At välbemålte M. Martinus med parergis och alla-*

lit Rector Magnificus. Praeter jam a nobis allata eruditionis suæ specimina & Disputationem Synodalem de *Libero Arbitrio* cc), nonnullasque gratulationes metricas latinas vix ac ne vix quidem memorabiles dd), alia haud exaraverat scripta typis

handa vidlystigt och onyttigt prolongerande uti fina lectionibus afstå vîle, påminne honom Dn. Pro-Cancellarius.

cc) Hanc turpis plagii culpa exemptam voluit Cel. WALLENIUS, sequente nobiscum benigne communicata animadversione: "Quæ de Disputatione hac Synodali, in Vita Rothovii p. 81 sq. habet Réverendiss. TENGSTRÖM, ea in Dissertatione Climi ER. ANDR. CHRONIS (de Fennis summos in Philosophia honores ante conditam Academiam Aboensem adeptis, Part. Post. Sec. Post. p. 11), quæ in Præside publicam a. 1812 adspexit lucem, ita, sed per memorie lapsum & urgentis festinationis ἀβλεψίαν, narrantur, quasi turpis plagii fraude notatus a Rothovii Biographo fuisset Vogelianus de Libero Arbitrio Thesum Defensor. Veriora docent & ipse Disputationis Stodianæ titulus (in Rothoviana quoque Vita p. 82 totus legendus) & ingenua Stodii tam in Dedicationibus quam in ipso opere confessio, maluisse se alienum mutuari opus, non proprias theses communicare, plures afferentis instituti partim causas partim excusationes, speranis obloqui eidem ausurum fore neminem, cum scriptionem hanc Generosissimæ Senatoris Gubernatorisque Generalis GABR. B. OXENSTJERNA Magnificentiae dedicatam esse cogitarit, addentisque esse eandem notis quibusdam a se distinguam: quæ tamen quot, quantæ & quales sint, sine Thesauri Vogeliani, qui mihi quidem ad manus nec est nec fuit, collatione indagare haud licet. De cetero non erit observato ioutile, inscribi alteram illam Stodiani operis dedicationem non solum S. S. Verbi Divini Ministerio Diœceseos Aboensis, verum etiam MARTINO MATTHÆI VARGO & SIMONI MATTHIA SOLIMONTANO, Tornæ Bothniorum illi Pastor, huic Sacellano, ceterisque omnibus aliis æque junioribus ut senioribus candidis ac piis lectoribus."<sup>29</sup>

dd) Vid. si placet, Dis. de Fortitudine, Præf. MICHAEL WEXIONIO, 1643, Theorematum quædam Philosophica, Præf. ABR. THAUVONIO, 1652, Hymenæus nuptiarum festivitatí M. Gabr. Thauvoniæ ac

pis evulgata. Ullas neque Disputationes a se éditas, tam negotia, quibus se distringenter Professiones duæ sibi delatae, quam ad Academiam diu desideratos Græcarum litterarum typos d. 6 Junii 1649 in Consistorio Academico, sui excusandi gratia, commemoravit; cui declarationi ansam dedisse videtur decretum paullo ante a Consistorio conceptum, providendum esse, ut nisi Profesor Linguarum Disputationes ederet, saltem Orationes quædam Græcæ quoque anno typis evulgarentur ee).

Litteras, quas vocant, clasicas, in genere, utpote viris demandatas, etiam si eruditissimis, tamen ad alienas tractandas disciplinas prioribus, primis lustris Academæ conditæ haud, ut fas erat, prælectas & procuratas fuisse, jam hisce temporibus a viris cordatis, litterarum humaniorum promovendarum studioſis, obſervatum est. Ut Episc. TERSERUS a. 1659, Eloquentiam a Profesforibus ei minus deditis ejusque imperitioribus in Academia Ab. neglectam fuisse, queltus est, quod magnum fuisse impedimentum floris Academæ, merito judicavit ff); sic anno adhuc 1684 Matheſeos Profesor M. JOH. FLACHSENIUS coram Senatu Acad. asferere non dubitavit, Lингvarum Professionem inde ab inauguratione Academæ haud

H

bene

*Elisab. Joseph. Melartopææ, a. 1655, Ab. 4:0, Votivæ congratulationes M. Georg. Alano, cum d. 15 Junii 1660 Theol. Doctor. crearetur, ib. 4:0.*

ee) Prot. Conf. Acad. d. 21 Maii 1649.

ff) Cf. Rev. TENGSTRÖM Minne öfver Terſerus p. 47 not. Fratrem suum JOHANNEM Elai TERSERUM, primum Eloquentiae Profesorem Aboensem, haud quidem nominat Episcopus TERSERUS; sed hunc spartam suam male ornasce, Acta ſæpius teſtantur. Vid. Reverendiss. TENGSTRÖM I, c, p. 170, BILMARK I, c, p. 46, seqq.

bene administratam fuisse *gg*). Absit tamen a nobis viros de patria litterisque alias meritissimos illam aetatem ornantes atro carbone notandi pruritus; cum mirari potius conveniat, quod, etiam si nulla junioribus litterarum cultoribus assignata essent salary, eos ad Academiam, quo usque munera Profesoria attingere possent, frequentandam invitantia, iisque otium offerentia litteris dicandum, plerumque tamen ex nostratisibus adfuerint, qui Professionibus vacuis praefici possent, & qui his summo cum emolumento & popularium & litterarum fungerentur.

Græcæ & Orientalium Linguarum Profesores, infra singuli suis locis uberioris recensendi, post STODIUM, qui ordinem dicit, fuere *hh*):

PETRUS BERGIUS	ab a.	1652,
ERICUS FALANDER	—	1671,
GAERIEL FORTELIUS	—	1682,
SIMON PAULINUS	—	1684,
DAVID LUND	—	1691,
ISACUS PIHLMAN	—	1697,
ISRAEL NESSELIUS	—	1705,
ABRAHAMUS ALANUS.	—	1707,

DA-

---

*gg*) Denna Profession har esom oftast lidit meen alt ifrån Academiens första inauguration, den tijden Mag. Andr. Bergius den posiderade, hvilken sielff ofta måst klaga öfver des svårighet, seen intil des Prof. Falander öfvervant det svåraste, och nu medan Prof. Fortelius den förvaltat, hvilken icke sällan hafver bekänt, huru ondt han hafver haft komma medh. den till rätta. Prot. Conf. Acad. 19 Martii 1684.

*hh*) Cf. BILMARK Progr. Acad. d. 28 1795 datum, quem indicem tamen ex annotationibus Reverendiss. TENGSTRÖM ad STIERNMANNI Ab. Literat. & correximus & auximus.

DANIEL JUSLENIUS	ab a. 1712,
ISACUS BJÖRKLUND	— 1728,
PETRUS FILENIUS	— 1735,
GREGORIUS STENMAN	— 1741,
CAROL. ABR. CLEWBERG	— 1746,
ISACUS ROSS	— 1758,
LAURENTIUS O. LEFRÉN	— 1772,
GABR. TIDGREN	— 1785,
PETR. MALMSTRÖM	— 1790,
GUST. GADOLIN	— 1795,
JOH. BONSDORFF	— 1807.

§. 11.

JOHANNES *Elai* TERSERUS, a. 1605 in Dalekarlia natus, jam scholam frequentans Örebroensem carmina Græca & Latina pepigit. Episcopum JOH. RUDBECKIUM, ecclesias Esthoniae, Ingermanniae & Livoniæ visitantem, Notarius comitans in Synodo Revaliæ 1627 habita Græce cum GABRIELE HOLSTENIO, denique Archi-Præposito Arofensi, Præsidis partes sustinente, disputavisse traditur *ii*). A. 1632 Lector Græcae Linguæ in Gymnasio Arofensi designatus est. A. 1633 Academias exteras visitaturus Germaniam petivit, ubi honorificentissimum CONRADI HORNEJI ad JOHANNEM ADLER SALVIVM testimoniū meruit, hæc inter alia habens: *Tanta doctrina & virtute præditus est, ut, utra magis præset, incertum sit. Mihi profecto utramque sic probavit, ut a multis annis ex omnibus familiaribus meis neminem propensius dilexerim, ne majora de quoquam sperarim. Nam præterquam quod Latine eleganter scribit & loquitur, Græce etiam & Hebraice insigniter doctus est. Sed & ita humaniores illas litteras coluit, ut simul cum Philosophiam tum Theologiam accurate cognoverit, quibus in-*

---

*ii) FANT Hist. Litt. Græc, in Svecia, Sect. I. p. 53.*

*super Historiae & Antiquitatis notitiam adjecit kk).* A. 1640  
Theol. Professioni Aboënsi, a. 1647 Upsaliensi admotus, ante-  
quam Aboë valediceret, d. 16 Maij 1648 a D. Esk. PETRÆO,  
fuo quondam Praeceptore, Theol. Doctor creatus est *ll*). A.  
1658 in sedem Episcopalem Aboëensem electus, a. 1664 ea-  
dem dejectus, Ecclesiis quibusdam Pastor præfuit usque ad  
a. 1671, quo Episcopus Linopensis designatus est. Defun-  
ctus a. 1678. Vitam meritaque insignia Viri hujus incliti ex-  
posuit pluribus Reverendis. TENGSTRÖM *Minne öfver Johan-*  
*nes Elai Terserus*, Aboë 1795, 2:o.

Ex scriptis Ejus ad litteraturam Græcam pertinet:

*Analysis Epist. Pauli ad Galatas & Capitis I. enarratio*,  
1649, *Cap. II. v. 1 — 15*, e. a. *Cap. II. a v. 16 ad finem &*  
*Cap. III. ad v. 19*, e. a. *Cap. III. a v. 19 ad finem*, e. a.  
*Cap. IV*, 1650. Upsaliæ, 4:o.

### §. 12.

SVENO Theodori *mm*) GELZENIUS, a. 1619, patre Pastore  
in Gellersrum Ostrogothiæ, natus, qui in ipsa inaugura-  
tione Academiæ, aut certe haud longe post, nomen suum  
Albo Academiæ dedisse videtur, egregie omnino de litte-  
ratura Græca in Fennia eo ipso meruit, quod a. 1646,  
privato quoddam Praeceptoris munere in parœcia Bjerno fun-  
gens,

*kk) Vid. O. Knöös Analefta Epistolarum*, p. 90 seqq.

*ll) Exstant Gratulationes Jo. El. Tersero, cum Ei gradus in Theo-*  
*logia summus conserretur*, Ab. 1648, 4:o, inter quas duæ metricæ  
latinæ E. K. PETRÆI. In priori, se ad Finlandiam, ubi nemo sibi  
notus esset, follicitum atque attonitum venisse, commemorat, at  
numquam se pœnituisse, quod ad has se contulerit oras.

*mm) Toreri ex Actis Cons. Ac.*

gens, fabricam typorum Græcorum, quibus adhuc prorsus carebat Academia, adeo sollerter pararet, ut Senatus Academicus non modo exempla horum ad se transmisa <sup>nn)</sup> statim probaret, atque GELZENIUM ad opus suscepsum continuandum exhortaretur, sed etiam deinde typis hisce elaborandis, novis eorum a GELZENO præsente speciminibus Confistorio exhibitis, sumtus necessarios a se præstandos decerneret <sup>oo)</sup>. Noster vero, ut opinioni a Confistorio de se conceptæ responderet, atque artificio suo liberius se addicere posset, paedagogiam d'ēam reliquit, etiamsi res sua familiaris adeo erat angusta, ut privatam Profesorum liberalitatem sollicitare nescie haberet. Materiem variii generis fabricæ suæ necessariam emiturus a. 1648 Holmiam se contulit, ubi favorem singularem expertus est Jo. TERSERI, tunc temporis Theol. Prof. Upsal. designati, qui ex pecunia ab Illustris. Comite GUSTAVO Gustavi de WASABORG, procurante TERSERO, Typographiae Academæ Aboensis emendandæ donata erat, 50 thale-

ros

<sup>nn)</sup> Vidi. Reverendiss. TENGSTRÖM *Vita Rothovii*, pp. 193, 194,  
cf. Prot. Conf. Ac. d. 15 Apr. 1646.

<sup>oo)</sup> Typographus PETR. WALDH, de opere GELZENI sententiam in Confistorio d. 9 Febr. 1648 rogatus, respondit: Han, Peter, veet inthet, hvad han skall seija therom; doch medh tidhen kunnna blifva godt nogh, emedhan han alredha kan omgås medh spissglass, och felas icke annat, at het motte rinna —. Bemälte Sveno Gelzenius viijste fram sina saaker och instrumenta medh ödmjukeligh begåran, Senatus Acad. ville försörja honom the medhleu, thermed han kunde samma värket fortsättia, såsom ett Städh, en Panna, 3 hembrar, 1 skål p. bly, Spissglass, &c. Erogavit itaque Confistorium, præter 10 thaleros cupreos ei antea concesos, 50 thaleros e fisco Academæ; & cum neque hi sufficerent ad sumtus necessarios suppeditandos, nova subsidia ei suggerenda esse, pluries jusuit Confistorium. Cf. Protoco. Conf. Ac. d. 17 Nov. 1647, d. 12 Jan. d. 9 Febr. d. 26 Apr. dd. 21, 28, 29 Junii, 18 Julii, 18 Oct. 1648, d. 18 Apr. d. 20 Junii 1649,

ros argenteos ad sumtus hujus itineris sustinendos GELZENIO assignavit, quos tamen, d. 29 Junii ejusd. anni, 3 thaleris quaque hebdomade ad diem S. Michaëlis Nostro decretis, eum restituere jusit Consistorium pp), præterea d. 18 Julii puero, qui ei in opere ad manum esset, unum thalerum quaque hebdomade pendendum attribuens. Hisce munitus subsidiis GELZENIUS opus suscepsum eo successu continuavit, ut d. 29 Maji 1649 Consistorio Academico posset exhibere typos ipsarum litterarum Græcarum paullo plures quam quæ ad dimidiam plagulam imprimendam esent necessariæ, promittens, se etiam quam primum *spatia & accentus* confecturum; quibus paratis fabricam hancce desiisse, probabile videtur qq). GELZENIUS tamen certe illam meruit laudem, quod primus his in oris typos funderet. Ipse typorum a se confectorum ad orationem Græcam, in Academia Ab. a. 1649 Dominica IV:a Trinitatis a se habitam, & Reginæ CHRISTINÆ latine dicatam, imprimendam adhibendorum ansam dedit. A. 1650, editis eodem anno duabus Dissertationibus, altera *Disp. 2:da in Artic. III Augustanæ confessionis, de incarnatione Filii Dei*, Præf. Jo. El., TERCERO, altera *De modestia*, Præf. MICH. WEXIONIO, Philoi. Magister Aboæ creatus, atque eodem anno sacro ordini initiatus, a. 1651 Rector Scholæ in Westervik atque a. 1654 Pastor ibidem designatus, d. 8 Aug. 1676 defunctus est. Suam & Mechanics & artium variarum fabrilium peritiam, præter typos Græcos, quos Aboæ confecit, & or ganon

pp) Hoc vero decretum haud accurate exsecutioni datum fuisse videatur; nam d. 29 Maji 1649 GELZENIUS retulit, se ad sumtus fabricæ suæ sustinendos accepisse Grefve Göftaſs 50 Rijksdaler, och något af Quæstore.

qq) Die enim 20 Junii 1649 laborem suum quasi exantlatum coram Consistorio Acad. commemorans, præter mercedem sibi jam tributam adhuc 150 Thaleros petivit, de quibus vero ad Cancellarium referendum esse, censuerunt Patres.

ganon pneumaticum templi Westervicensis, cuius eum fuisse opificem traditur, & alii artificii sui monumenta testantur *rr.*

Oratio Græca a GELZENIO Aboæ habita, nuper laudata, inscribitur: Λογάριον περὶ τῆς τῶν νεκρῶν ἀναστάσεως, ἥπτινα ὅλα τὰ κόσμια ὁ δικαῖος υπερμεγέτης Ἰησὸς Χριστὸς ἐνεργῶς ἀπετελέσται, Aboæ, 1650, 4:o,

quam vero, cum ejus exemplum nullum expiscari potuerimus, recensere nobis haud licet. Eam a vitiis typographicis minime fuisse liberam, in ipso titulo, a nobis allato, videre est. Exstat præterea GELZENII

Grat. Hexam. Græc. in Disf. *De elementis in genere & specie*, Praef. ABRAH. THAUVONIO, Resp. PETR. WARELIO, Q. Goth. 1650.

Typi Græci GELZENII, ex specimenibus, quæ in Actis Consistorii adhuc cernuntur, & in scriptis variis hoc ævo excusis exstant, pro instrumentis & subsidiis mancis, quibus usum fuisse eum, veri simillimum est, satis accurate effici fuerunt, etiam si ductus litterarum nitidiores & expressiores desideres.

Excitatur a SIVERS I. c. GELZENII *Brevis declamatio super illum communem locum: Per angusta ad augusta, enarrata & excusa Aboæ*, 1643, 4:o, quam vero neque STIERNMAN I. c. commemorat, neque nos vidimus..

### §. 13.

ENEVALDUS SVENONIUS a. 1617 in Smolandia, patre SVENONE Enevaldi, ferri Mercatore, avo ENEVALDO Jonæ, abavo JO-

*rr.) Cf. SIVERS Westerviks Stads Historia och Beskrifning, p. 28.*

JONA, Pastore in Angelstad, atavo Mercatore Helsingburgensi advena, ex familia nobili Anglica oriundo, matre INGRIDE Nicolai filia, ex antiquo sacerdotali genere in Ostrogothia progenita, natus, Philos. Magister Aboæ 1647 creatus, a. 1649 cum PETRO BERGIO et AXELIO KEMPE inter Candidatos Adjuncturæ Philosophicæ, abeunte PETRO TORPENSI vacuæ factæ, secundo loco nominatus est ss). Pecunia in usum Studiosorum per Diœcesis colligenda tres annos sublevatus, cum discipulis, filio Ep. ROTHVII minimo natu, deinde Secretario Regio Nob. JONA ROTHOF, & JOH. FLAGHMAN, deinde Judice Territoriali EHRENROOTH, Upsaliam, ubi annum antea commoratus erat, a. 1648 petiverat. Heic linguae Arabicæ atque Syriacæ in primis operam dedisse atque cum publice tum privatim Hebraice disputavisfe traditur. Sequentे anno Aboam cum altero discipulo, filio Ep. ROTHVII, reversus est; sed stipendio Generalis Ammiralis CAROLI GYLLENHJELM mactatus tt), Holmiam d. 16 Oct. repetivit. Veniam concionandi ab Ep. Wexionensi D. JOH. STALENO adeptus, partes Concionatoris Aulici in Carlsberg & Sundbyholm apud Viduam Illustris. GYLLENHJELM, d. 7 Martii 1650 defuncti, egit, & in hujus Herois memoriam d. 10 Febr. 1651 orationem in Synodo Strengniesi habuit. A Domina laudata, CHRISTINA RIBBING, pecunia ad iter instituendum instructus, d. 1 Martii huic vale dicto, ad mensem Maji apud matrem suam viduam commoratus, in Daniam traxcit, dieque 8 Augusti Wittebergam venit. Opera heic litteris diligenter navata, a. 1654, vilitatis quam plurimis Academiis, in patriam redux,

d. 16

---

ss) Prot. Conf. Ac, d. 14 Nov. 1649. Huic vero Adjuncturæ admotus est BERGIUS.

tt) Ad animum suum gratum ob hoc aliaque, quibus ab Illustris. GYLLENHJELM Viduaque Ejus affectus erat, beneficia significandum, in Operibus a se, non modo Profesore, sed etiam Episcopo designato, editis, se quondam GYLLENHIELMIORUM alumnum (Q. G. A.) subsignare solebat.